

Nam quod ad primum attinet, hanc fuisse veterum sententiam, ut Deus tantum unus haberetur, cetera multitudine constarent, antiquissima Deum salutandi formula, qua ab initio vsi sunt, satis testatur. Quoties enim ad Deum accederent, sic olim praefari solebant, nimirum multitudinem negante, quoniam pro Deo est habitus. Icius item quod vnicum sonat, siue solum. Phœbus præterea, quia hoc vocabulo antiqui omnia castra, & pura designauerunt: sicut, ni fallor, ait Plutarchus, etiã hodie Thessali sacerdotes ne fastis diebus priuatim, & extra templa degentes, Phœbonem ista, id est, lustrari dicunt. Quod autem vnum est, idem quoque syncerum, ac concretionis expers sit necesse est. Alterius quippe cum altero confusione, res contaminantur. Quo pacto Homerus ait, puniceo colore ebur inquinari, cum tinctum dicere veller, colore mixto res infici, compositionem corruptelam nominans. Ergo vnum esse, neque cum alio temperari, soli Deo concessum est; inquit Plutarchus. Vnusquisque autem nostrum congeries quædam est, ex infinitis diuersissimisque affectionibus commixta, quomodo ex omni generis hominibus solennes cœtus conflantur. Haectenus Plutarchus. Cui addere possis, Deum quoque vniusmodi, ac simplicem, nec vllius permissionis capacem in Scholis nostris prædicari, qualem etiam Scripturæ sanctæ perhibent: sic enim scriptum est, *Audi Israël Deus vnus Deus vnus est.* Et iterum Dominus in Euangelio docet: *Ego, & Pater vnus sumus.* Et alibi: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnus sunt.* quibus testimoniis, vt reor, omnis dubitandi ansa præciditur. Nam si compositio vlla in Deo admittenda foret, personarum illa esse debuit: tres enim illas esse dicimus: verum tres illas, non tria, sed vnum esse comperimus. Ergo multo magis, si perfectissimam illam naturam vna velut persona contineri intuebitur, quemadmodum Philosophi fecisse videntur, simplicissima apparebit. Cum itaque Deus vnus sit, nec alteri præterea ex propria naturæ qualitate idem conueniat, non poterit Elcana, quemadmodum antea legimus, *vir vnus* appellari. Verum, opinor, non intelligunt, qui sic autumant, *ille vnus*, quem solum admittere volunt, quomodo ad nos pertineat. Pythagoras verò apud S. Iustinum, in sermone exhortatorio ad gentes, paucis verbis explicat. Deus vnus est, inquit, non vt quidam suspiciantur, extra opus à se ornatum ac dispositum, sed in seipso totus in orbe toto, inspectans quæ gignantur, cum sit temperamentum cunctorum temporum, opifex potentiarum operumque suorum, omnium principium, vnum luminare in cælo, pater omnium, vniuersorum mens & animatio, circulorum motus omnium. Hæc Pythagoras. Quod si Deus rerum omnium fons & origo est, & ipse est in omnibus, profecto vnitatis vlli rei deesse non poterit: quod priuatim de anima probat Ficinus, argumento suo in Io

A Platonis, ex eiusdem Philosophi sententia. Vt enim, inquit, ab ipso vno, quod omnium principium est, producitur, vnitatem quandam sortita est, quæ omnem essentiam eius, vires, actionesque vnit: à qua, & ad quam, ita cetera, quæ in anima sunt, se habent, sicut à centro, & ad centrum circuli lineæ. Vnit verò, non modò animæ partes inuicem, & ad totam animam, sed animam totam ad ipsum vnum, rerum omnium causam. Nec anima duntaxat, verum etiam corpora vnitatem constant. Nam vnitatem partium suarum cuncta conseruantur, dispersione pereunt. Quod in humoribus nostrorum corporum, & mundi elementis intueri licet: quorum concordia, vt olim Empedocles dixit, & mundus hic, & nostrum corpus subsistit, discordia dissipatur. Addam postremo ex Philone, vnitatem, primæ causæ seu omnium authoris esse imaginem. Quis igitur illam neget in eiusdem operibus, cum effectus omnis secundum quandam analogiam suæ causæ proprietatem repræsentet? Præ ceteris autem omnibus verè Archetypi illius homo imago ac similitudo est. Quomobrem verè dicitur Deus vnus in ratione prototypi: ita & homo quatenus imago est, verè dicitur vnus, & Elcana *vir vnus.*

*Quare homo multiplex ab antiquis habitus, & erroris confutatio.*

C Quid sit igitur, instat Plutarchus, vt toties in singulos dies immutemur? Enimvero si vnum quippiam nasceremur, quomodo nuncialis rebus gauderemus, gauisi ante diuersis? contraria diligeremus, odio haberemus, miraremur, vituperaremur: aliter loqueremur, afficeremur, non formam, non figuram, non sensum pristinum retinentes? Nam neque absque mutatione probabile est istam diuersitatem oriri, neque qui mutetur, eundem permanere, ac proinde ne vnum quidem esse. Deinde apud Xenophontem Artaspas, interrogatus à Cyro, num poteris deserere pulchram Pantheam, cuius ille scilicet inhonesto amore flagrabat: Duos, inquit, Cyre, dilucide animos habeo. Non enim qui vnus sit, simul & bonus est, & malus, neque simul & honestorum, & turpium amore capitur, atque hæc simul vult agere, & non vult: sed perspicuum est animos esse duos: quando bonus dominetur, res agit honestas, quando autem improbus, res turpes aggreditur. Nunc verò quia te socium cepit, bonus animus dominatur, & id admodum quidem. ] Audis hominem virtutis studio cum improbo amore conflitantem, tantam in se vno voluntatis secum pugnantis seditionem experiri, vt iam non se vnum esse, sed duos in se animos recepisse, nec id vicissitudine quadam, vt Plutarchus, sed simul deprehendisse putet? Nec id huic vni visum aliquando fuisse credendum est, quin etiam plures ex antiquis, cum primum quidem Christi fidem

*Divina vnitatis homo quædam imago est.*

Plutarchus de Inscript. Ei. Obiectio ex Plutarcho ab inconstancia voluntatis.

Xenophon Cyropæd. 1.6. Alia obiectio à repugnancia & contrarietate affectuum.

Plutarch. l. de in script. Ei.

Homerus Iliad. d. 141

Refert S. Iustinus in exhort. ad gentes. Deus quomodo dicitur vnus.

Cum Deus sit omnium mens nulli rei vnitas deesse poterit. Ficinus in Io Plato. nis.